DECISIO SACRAE ROTAE ROMANAE

In Causa Pacen. Puritatis.



ROMÆ,
Ex Typographia Reu. Cam. Apostolicæ. 1609.
Superiorum permissu.

76

R. P. D.

MANZANEDO

Pacen. Puritatis.

Lunæ 6. Aprilis 1609.

LATA ſententia in iſta cauſa per Ordinarium Pacen. Iudicem Apoſtolicum, & executorem ad fauorem D. Alphonſi Salgado, & cauſa per appellationem Capituli introducta in Rota, & per Sanctiſſimum mihi commiſſa, opponente Capitulo contra prædictam ſententiam de nullitate ex defectu citationis, & recurſu habito pro illius ſanatione per D. Alphonſum ad Signaturam Sãctiſsimi fuit reſcriptũ, *idem Auditor conſtito de bono Iure, reiecta nullitate prædicta procedat, vt petitur.* Vndè 19. Ianuarij proximi præteriti, Dubitaui An de bono iure D. Alphonſi conſtaret. Et quia illud ex duplici capite reſultabat, quorum alterum erat Puritas Alphonſi propter ſtatutum prædictæ Eccleſiæ illam expoſcens, ideò Domini dubium reſtringendum dixere ad caput Puritatis, reſpectu cuius tantummodò hodie repropoſui prædictum dubium, & Domini quoad puritatem, conſtare de bono iure D. Alphonſi reſpondendum dixere; Contrarium verò Capitulum nitebatur demonſtrare; Primo ex teſtibus à Capitulo examinatis de publica fama impuritatis Alphõſi, & ſuorum maiorum deponentibus, quæ fama, & communis reputatio probat tam puritatem, quàm impuritatem præcipuè cum ſimus in antiquis *Gloſ. in l. 1. ff. de probation. notatur in l. ſi arbiter. argumento illius text. ff. eodem. Hoſtien. in c. quid per nouale num. 5. verſ. talis probatio. de verb. ſignif. Aretin. conſ. 37. n. 1. Alphonſ. de Caſtr. in tract. de iuſta hæ-*

 reticorum

reticorum punitio.lib. 1. c. 7. Auendan. in suo dictionario verb. Iudios, quē refert & sequitur Azeuedo in l. 22. nu. 3. tit. 8 lib. 1. nouæ recopilation. Secundò fundatur Capitulum in eo quod prætendit ex suis testibus resultare originem prædictæ famæ ortum habuisse ab Isabella Gonzalez proauia paterna D. Alphonsi, quam nititur ex suis testibus, elici, fuisse Mauram, Captiuam vulgò Sclaua, & ferro in facie signatā de quo plures Testes Capituli de auditu deponūt, & quinque 6. 23. 24. 25. 46. addunt illud audiuisse à personis, quæ cognouerunt dictam Isabellam, & illam in facie ferro signatam viderunt. Tertiò fundatur Capitulum in eo, quod Sebastianus frater D. Alphonsi non fuerit admissus ad Officium Notariatus Sanctæ Inquisitionis, quòd prætendebat, quasi hoc fuerit sibi denegatum propter impuritatem.

Quibus tamen non obstantibus Domini pro puritate D. Alphonsi respōderunt, tum quia ipse habet iuris præsumptionem pro se *l. ab ea parte ff. de probation.* & in simili casu & statuto fuit dictum in vna Toletañ Portionis 2. Maij 1594. coràm Illustriss. Mantica, & aliàs pluries. Vnde Capitulo deneganti possessionem prætextu statuti nō admittentis impurum in illa Ecclesia, incumbit onus demonstrādi impuritatem, ob quam, possessionem illi denegauit, vt tenuit Rota in vna Oueteñ Canonicatus 24. Ianuarij 1578. coràm bo. me. Cardinali Seraphino, & est inter impress. *decis. 176. nu. 1. & 2. par. 1. diuers.* & in prædicta Toletan. Portionis coràm Illustriss. Mantica, & nouissimè in Toletan. Canonicatus x. Decembris 1608. proximi præteriti coràm R. P. D. meo Marcomontio, quibus aliæ Decisiones referuntur inter quas illa est coràm bo. me. Litta in causa Toletan. puritatis x. Martij 1604. vbi asseritur, eo ipso quod Capitulum non probat impuritatem, intentionem prouisi esse fundatam, idq; sæpissimè Rotam resoluisse; Dominis autem visum fuit, Capitulum impuritatem D. Alphonsi non probasse. Primò enim ex mala fama à Capitulo prætensa nō resultat huius impuritatis probatio in nostro casu; Nam cum fama de facili falli, & fallere possit, & sæpè fallax, & mendax sit vt notat *Natt. in cons. 473. n. 15.* & sæpè à veritate discordet, vt tradit *Afflict. decis. 178. nu 11. circa fin.* iura, probationes per famam nō indifferenter admisere; sed pluribus consideratis ad text. *optimum in c. de parentela el 2. 35. quæst. 6. ibi.* in quibus omnibus nec varietas, nec contrarietas vlla reperiri debet, & iuxtà receptam sententiam dè

qua

qua per *Io. Garci. de nobilit. Gloss.* 18. §. 1. *nu.* 13. fama tunc demùm facit veram probationem quando est constans, perpetua, generalis, & vniuersalis apud omnes sine varietate, & sinè contrarietate, debetq; hæc fama trahere originem ex probabilibus causis. *Bar. in l. de minore. §. plurimum nu.* 31. *ff. de quæstion. Bal. in l. diffamari. nu.* 2. *C. de ingen. & manumiss. Alex. cons.* 72. *nu.* 9 *in fi. lib.* 1. *per tex. in l. Decurionum. C. de pœnis*: Consideratis autem testibus Capituli de ista mala fama deponentibus apparet ex illis istam famam non esse constantem, cũ quinq; ex Testibus eiusdem Capituli optimè de puritate D. Alphõsi, & suorum Auorũ ex vtroq; latere deponant, habentes illos pro Christianis antiquis, & ex eisdem minus dici valet generalis, & vniuersalis sinè varietate, & contrarietate. Præcipuè cum Testes Capituli de illa deponant, alij à 14. alij verò à 15. annis. alij à 16. & vnus à 30. alius autem vnicus nempè quædam mulier à 40. annis deponant audiuisse, Infectionem generis D. Alphonsi ex latere paterno; Ex quibus apparet istam famam non esse perpetuam, sed paucis ab hinc annis ortam, nec omni tempore vniuersalem. Et vt notat *Felyn. in c. cum contingat. nu.* 2. *vers. sed intellige. de rescript.* fama debet durasse longum tempus, & sic potiùs dicetur in nostro casu probatus rumor, quàm fama, cum vt notat *Alciat. in parerg. Iur. lib.* 1. *c.* 6. rumor est qui de recenti emanauit, & per ora hominum circumfertur, fama verò est de antiquo faciunt tradita ab *Arch. in c. si duo nu.* 4. 35. *quæst.* 6. & maior pars Testium à 14. vel 15. annis ab hinc tantum, de hac macula loqui audiuit. Vlteriùs quia talis fama quamtumcumq; in antiquis in tantum probat in quantum nihil in contrarium adest, ex quo illa debilitetur, vt dixit Rota in supradicta decisione 176. num. 6. par. 1. diuers. & in alia Giennẽ Portiõnis 25. Iunij 1607. coràm D. meo Caualerio, & in illa Toletan. Canonicatus coràm R. P. D. meo Marcomontio; Sed sic est quòd in nostro casu fama de qua deponunt testes Capituli debilitatur, quin & omninò eneruatur ex sequentibus; Primò à prædictis quinq; Testibus eiusdem Capituli qui contrarium deponunt, & probant contrà producentem, adeò vt contrà illos vix est quod Capitulum possit aliquid opponere, *l. si quis testibus. & ibi Doct. C. de testib. Abb. in cap. præsentium num.* 6. & 7. *eod. tit. Aym. cons.* 188. *nu.* 5. *Roman. cons.* 104. *nu.* 6. *Surd. decis.* 284. *nu.* 14. & *dixit Rota in supradicta Toletan. Tortionis* 2. *Maij* 1524.

coràm

coràm Illustriss. Mantica, quod procedit etiamsi essent nulliter examinati. *Verall. decis. 268. par. 3.* qui alios citat; Item vt ex eisdē quinque testibus resultat, & ex alijs pluribus pro parte D Alphonsi examinatis, ista mala fama originem traxit à quodam Saluatore Perez Portionario eiusdem Ecclesiæ inimico D. Ioannis patris D. Alphonsi, occasione cuiusdam litis inter ipsos ventilatæ quo casu non solùm non constat de iusta origine istius famæ, quin & de iniusta procedente ex dicta inimicitia quæ est sufficiens causa debilitandi prædictam famam: sufficiensq; obstaculum ne illi sit danda fides, nec iuxtà illā iudicandum, prout optimè perpendit supradicta decisio 176. nu. 6.

Tum etiam ex eo quod in contrarium concurrat Didacum fratrem D. Alphonsi fuisse in eadem Ecclesia per Capitulum illius ad Capellaniam admissum, præcedente informatione testium de illius puritate examinatorum per Commissarium Capituli ad illud deputatum, ex qua informatione puro reperto Capitulum processit ad illius admissionem, quin etiam Sebastianus earumdem frater fuit etiam per idē Capitulum admissus ád Capellaniam eiusdem Ecclesiæ, attēto quòd per informationes factas quando fuit promotus ad Sacros Ordines constabat de illius puritate. Vndè cum isti tres sint fratres vtrinque coniuncti, & omnes descendunt ex illorum proauia Isabella Gonzalez facit optimè pro D. Alphonso informatio puritatis Didaci capta per Capitulum seu illius Commissarium, præcipuè ad hūc effectum, vt prædicta mala fama possit dici debilitata, & non perpetua, nec cōstans, vt optimè fuit consideratum in supradicta Toletañ Canonicatus coràm D. meo Marcomontio, *vers. item mala fama*. Quibus non obstat statutum prædictæ Ecclesiæ non requirere puritatem in Capellanis recipiendis, quia sat est, quòd Capitulum assueuerit informationes puritatis Capellanorum admittendorum priùs recipere, aut saltem quòd illas receperit per suum Commissarium deputatum, antequàm Didacum fratrem Alphonsi admitteret, & quod iudicaret informationem puritatis Sebastiani sufficientem pro illo admittendo saltim ad effectum debilitandi prędictam malam famam, prout supra dictum est.

Tum etiam ex pluribus testibus pro parte D. Alphonsi examinatis, & de illius & suorū maiorum puritate ex vtroque latere optimè deponentibus per publicam vocem & famam, qua vt suprà probauimus

puri-

puritatem probari, non est dubium, & plures refert *Io. Garsia de nobilit. d. gloss. 18. §. 1. nu. 6.* quo casu istis & bonæ famæ est magis standum *c. cum in tua, & ibi Abb. nu. 6. de sponsal. Bal. in l. fin. nu. 15. vers. ex hoc deciditur. ff. de ferijs, & in l. diuus. nu. 1. vers. quarto est argumentũ ff. de militar. testam. Felyn. in c. cum contingat. nu. 2. vers. & dicit Bald. de rescript. Corn. cons. 176. nu. 10. lib. 4. Cuman. cons. 136. num. 4. Alex. cons. 143. nu. 7. lib. 2. Put. decis. 2. lib. 3. Crauett. cons. 275. num. 12. Rolan. cons. 63. nu. 39. lib. 2.* & fuit dictum in prædicta Toletan. Portionis coram Illustriss. Mantica, & in illa Toletan. Canonicatus coram D. meo Marcomontio.

Quibus non obstat quòd Testes Capituli dicãt Isabellam proauiam D. Alphonsi fuisse Mauram ferro in facie signatam cum illud de auditu tantùm referant, & ex prædictis quinque testibus Capituli, nempè septimus affirmet cognouisse Parentes, Auos, & Proauos paternos, & maternos D. Alphonsi, & semper illos habuisse pro Christianis antiquis sinè progenie Maurorum, nec iudæorum, aut nouiter conuersorum, Vndè iste testis, qui de visu deponit cognouisse Isabellam Proauiam paternam D. Alphonsi, facit semiplenam probationem pro illius puritate, & est præferendus alijs de auditu, dicentibus illam fuisse Mauram ferro in facie signatam; præcipuè stantibus alijs tribus testibus, licèt fœminis, pro Alphonso examinatis deponentibus dictam Isabellam cognouisse, illamq; non Mauram sed ex sanguine puro fuisse, nec vllo ferro in facie signatam reddentibus optimam rationem, quia illam sæpiùs tractarunt & viderunt facie discoperta, & nunquàm in illa tale signum viderunt, ne cognouerunt, & istarum testium duæ sunt septuagenariæ, alia verò ascendit ad 85. annos, & tertia ex istis testibus deponit etiam vidisse brachia dictæ Isabellę nuda absque aliquo signo ferri, ex quo colligi potuisset fuisse Sclauam.

Quod autem isti Testes pro D. Alphonso deponentes fuerint nulliter examinati prout Capitulum opponit, de hoc poterit particulariter videri.

Tandem non obstat quod Sebastianus frater Alphonsi non fuerit admissus ad Officiũ Notariatus Sanctæ Inquisitionis, cũ testes loquantur de auditu, & non exprimant fuisse repulsum ratione impuritatis, & non sufficit, non fuisse admisum, nisi probetur concludenter

repul-

repulsam prouenisse ex causa impuritatis, vt in eisdemmet terminis dixit Rota in prædicta Toletañ coràm Illustriss. Mantica, quod magis procedit cum certum sit potuisse, non admissionem euenire ex alia causa; Siquidem ad Officium Notariatus Inquisitionis, non sufficit quem esse purum, nisi alia concurrant, tam circà mores, quàm circà habilitatem requisitam ad officium Notariatus, & potuit non admitti ex aliqua prędictarum qualitatum deficientia, aut quia alius concurrebat ad eandem prætensionem, cui Domini Inquisitores maluerunt gratificare, & non ex eo sequitur, quòd non admissus sit impurus.

Ex quibus Domini dixerunt constare de puritate dicti D. Alphonsi, & quoad illam de illius bono iure.